

tei ut vobis iustificationis

ut ni que coiuon omi m

ur im gaudiuus alle

episcopis suis omnesque de



ov

nicht in ab

IP

U. q 17, 9



I. N. D. N. J. C.

# DISPUTATIO OCTAVA,

Continens

Resolutiones Authenticar. Lib. IV. Tit. XIX. &  
 scqq. usque ad fin. Tit. XXI. Cod. insertarum, adjectâ decade  
 Corollariorum ex Johannis Monachi JCTi practica  
 judiciaria desumptorum.

*Quam**Divinâ favente Clementiâ*

Sub Præsidio

VIRI

*Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi & Consultissimi,*

**Dn. CHRISTOPHORI PHILIPPI**  
 Richters/JCTI CELEBERRIMI, COM.PAL.CÆS.  
 CONSILIARIUS SAXONICI EMINENTISSIMI, DECRETA-  
 LIUM P.P. FACULTATIS JURID. ORDINARII MERITIS-  
 SIMI, CURIAE PROVINCIALIS ET SCABINATUS  
 ASSESSORIS PRIMARII GRAVISSIMI,

*Dn. Praeceptoris, Promotoris sui maximè honorandi,  
 devenerandi,*

Publico Eruditorum examini submittit


**MATTHIAS BEXIUS,**

Autor.

die 14. Martij.

JENÆ,  
 Typis FREISCHMIDIANIS.  
 ANNO M. DC. LX,





Ad J Ctum Celeberrimum  
Dn. D. Joh. STRAUCHIUM.


**I**Iceat mibi discipulo TE Preceptorem meum venerandum alloqui; VIR MAGNIFICE NOB'LISSIME ATQVE CONSULTISSIME. Recordatio quidem tuarum virtutum, meritorumq; in rem literariam, mentem meam obtundunt, & in ipso veluti initio silere jubent: Ea enim dignè exprimere, in quibus meò longè præstantius fatigaretur iugenum, opus non est, quod pars sit meis humeris. Magnum enim, Principis loco Jura dicere aliis: Magnum inquam, Pietate Labore, & industria aliis praire, & suos ad virtutem veluti cogere: Quare nec ego hic in laudes Tuas excurram, tum, quod tenuis mea dictio eas deprimeret, tum quod singularis hec Tibi laus sit, laudari nolle, laudanda tamen facere. quin potius, quid velim uno verbo exprimam: Accipe igitur, benigno vultu, hoc qualemque industrie meæ specimen, quod TIBI ob innumerum in me collatum laborem & benivolentiam, subinde mihi præ aliis seorsim exhibitam, in devoti animi, cultusq; perennis symbolum offert dedicat

E Museo. 12. Martii  
1660.

Nobilissimæ Tue Magnificentæ  
observantissimus

MATTHIAS BEXIUS Lipt.  
Auth. & Relp.

DE PROBATIONIBUS.



LIBR. IV. COD. TIT. XIX.

DE PROBATIONIBUS.

In Authent. de Jurejurand. à moriente præstio. §. ult. Coll. 5. tit. 3. al. 2. Nov. 48. c. I.

**Q**uodobtinet omnimodo, si testator non juraverit: alioquin hæredes necesse habent testatoris religioni stare, aut minimè fruentur his, quæ relictæ sunt: sed creditoribus nihil ex hoc præjudicij comparabitur.

SUMMARIA.

1. Recensetur summa cap. 1. Novell. 48.
2. Summa Authentica.
3. Dubitatur an justo loco posita sit.
4. Baldini negativa sententia.
5. Rejicitur.
6. Prior Casus l. 6. C. de Probation.
7. Dubia moventur.
8. Ad illa respondeatur.
9. Alter Casus d. l. 6. secundum verba textus.
10. Alter format. cum Gloss. Gothofr.
11. Respondeatur ad numerum precedentem 10.
12. Autoritate Basilicorum.
13. Per Anth. nostr. d. l. 6. limitatur.
14. 15. Objectiones afferuntur & removentur.
16. Testatoris assertio jurata heredibus nocet, creditoribus non nocet.
17. Ratio hujus regula.
18. dicta regula explicatur latius.

A

Cum

*AD AUTH. LIBR. IV. COD. TIT. XIX.*

Cum apud omnes populos & ab omni ævo circa conventiones maxima semper vis fuerit Jurisjurandi, adeò ut illius transgresores, atrocem pœnam subsecutam fuisse, passim in historiis reperiamus; Ita quoque testamentum jurejurando confirmatum, firmum atque validum esse jubet Imperator Justinianus in *Nov. 48. c. 1.* cuius summa hæc est:

1. Facit quis descriptionem bonorum suorum, aut in Testamentis suis mensuram substantiæ facit manifestam; jurat insuper, se nihil amplius in bonis habere: hac bonorum descriptione heredes defuncti contenti esse debent, nec per quæstiones & tormenta servorum vel quocunque modo in alia bona hereditaria inquirere, nisi velint tota hereditate privari. Subjicitur §. 2. Creditoribus ex hoc defuncti Juramento nihil præjudicium comparari. In hac *Nov. 48.* fundamentum nostræ *Auth. quod obtinet*, sicutum est. Cujus summam Baldus hanc esse refert, quod adsertioni juratæ testatoris heredes stare debeant: creditoribus autem non præjudicet, vel iis legem non imponat.
2. Ubi statim ab initio à nonnullis Dd. dubium movetur, & queritur, an hæc *Auth.* justo & convenienti loco sub
3. Tit. *C. de Probationib.* sit posita? Negativam amplectitur *Baldinus lib. 4. justiniani circ. fin.* quem sequuntur *Giphanus & Wisenbach Errorum Irnerianorum* §. 15. & 16. quin potius afferunt eam subjicie idam esse *t. scriptura. 10. C. commun. utriusq. Jud.* Quamvis autem conjectura Balduini haud spernenda sit, adeò tamen eam validam esse, ut allegatam *Auth.* in possessione sua turbare possit, vix concesserim. Nam quod *Baldinus* objicit; et si testator juraverit de quantitate sibi debita, nihilominus habere locum *legem 6. de Probat.* ut quæ communem juris regulam contineat; pergit: neque alicui in re sua, uti est cre-



DE PROBATIONIBUS.

creditum, credi, quantumvis jurato: verum hoc utique est; Sed tum demum nobis officeret, si crederetur jura-  
to testatori de quantitate sibi debita, in fraudem tertii:  
Hanc vero exceptionem Auth. nostr. satis innuit in fine.  
Quare tantum respectu heredum statur Jurejurando, ne  
hi plus, quam testator jurato dixerit, petant. Nulla  
igitur neque incommoditas neque diversitas apparent, quæ  
hanc Auth. loco moveat: cum Novella, unde ea de-  
sumpta est, loquatur & de assertione testatoris in testamen-  
to facta, & extra testamentum, & conveniat magis cum  
hac l. 6. quam cum d. l. 10. quippe quæ de sola scriptura  
testamenti loquitur. Ipse etiam Balduinus hunc, quem  
putat errorem, non Irnerio, sed potius librariorum in-  
scitix imputat.

Convenienter autem Authenticam nostram sub l. 6.  
**C. de Probat.** positam esse ex subsequentib. apparebit.  
Casus enim d. l. 6. talis est: Titius posuit in rationibus 6.  
suis, Mævium sibi debere centum, postea moritur Titius,  
hæredes post mortem Titii inveniunt rationes, & institu-  
unt condictionem contra Mævium, hic litem contesta-  
tur negativè, se tantum non debere, hæredes probant per  
rationes, quas in bonis ejus invenerunt, quæruntur, quid hic  
decidendum? Et respondet Imperator Philippus in  
l. n. 6. pro Mævio; Rationes defuncti, quæ in bonis ejus  
inveniuntur, ad probationem sibi debitæ quantitatis solas  
non sufficere. Ratio decidendi est, quia legibus no-  
stris videtur una quodammodo esse persona heredis &  
ejus, qui ad eum transmittit hereditatem. **d. Niv. 48.**  
**pref.** Cum autem rationes non probent pro defuncto,  
quia privatæ scripturæ pro scribente fides non habetur,  
& nemo in propria sua causa potest esse testis. **l. omnibus**  
**10. C. de testib.** Ergò neque probant dictæ rationes pro

AD AUTH. LIB. IV. COD. TIT. XIX.

heredibus, cum habeantur pro una persona. Antecedens probatum vid. apud Pacium. ad Tit. de Probat. n. 21. adde l. 120. ff. de Reg. Jur.

7. Sed dubium movere posset 1. quod ratio ab uno scripta probet pro altero. l. 22. C. de fid. Instrum. Edict. Justin. IX. c. 7. per consequens ratio defuneti pro hærede, imprimis cum omnis in defuncto cesseret suspicio, cum ipsi nihil proficit probatio. Et 2. quod nemo moriens salutem aeternam contemnat, l. ult. ff. ad L. Jul. repetund. ita, ut in extremis constitutus de vili commode pecuniario cogitet.

Sed ad 1. dubium respondetur, quod quidem probet, sed non sola sufficiat. Ad secundum hoc quidem verum esse, interim tamen jam defunctum potuisse errare in rationibus conficiendis: fallax autem presumptio, quod defunctus bona fide rationes scripsiterit, non debet valere in præjudicium tertii.

Altera pars d. l. 6. agit de defuncto, qui in ultima voluntate significavit, certam pecunie quantitatem aut res certas sibi deberi. Casus sit talis: Testator afferit in Testamento sibi deberi centum, & instituit heredes; hi petunt post mortem ejus debitum, & probant per testamentum, quæstio est, an satis probaverint? quod etiam negatur, ut in casu priori. Et ita casus formari debet secundum verba textus, ita ut Testator creditor non debitor sit intelligendus.

Contra autem, *Glossa cum Gotfredo* easum ita formant, ac si testator debitor non creditor sit habendus, adeoque Ille textum ita corrigit; *aut etiam res certas se habere significaverit.* Rationem, cur ita legi debeat, hanc affert, quod in Auth. proxime seq. agatur de testatore debitore, & hoc inde colligit, quod in n. Authentica dicatur heredes cogi stare testatoris religioni; hæc verba inquit Gotfo-

## DE PROBATIONIBUS.

Gothofredus, offendunt, certarum rerum debitum Testatorem confessum fuisse, non autem sibi eas res certas debitas, alioquin dicendum fuisset, debitores cogistare religioni defuncti.

Hactenus Gothofredus: Verum salva Gothofredi <sup>11.</sup> aliorumque Autoritate responderi potest, eundem esse casum in Autent. qualem in l. 6. Negamus itaque, in Authentica n. testatorem esse debitorem; nec videtur congrua esse ratio Gothofredi, quæ talis; Heredes coguntur stare testatoris religioni, Ergo testator certarum rerum debitum confessus est: quin potius hanc aptarem conclusionem; Ergo heredes non plus petant à suis debitoribus, quam testator in Testamento juramento confirmato posuit, ne tota hereditate, si ejus religioni non starent, priventur. Male ergo & porro arguitur, si testator dixerit sibi deberi res certas, E. dicendum fuisset, debitores cogistare religioni defuncti: Præterquam vero quod verba textus l. 6. clara sint, nec temere mutanda, contra Gothofredum & Glossam militant verba Basilicorum, libro 22. tit.

l. n. 40.

Οι λόγοι τῷ πελευτίσαντ<sup>Θ</sup>, οὐδὲς κατέχαψεν ἑωτὸν χρεώ- 12.  
τεῖδε, πεὸς διπόδειξιν σύκη δηκοτι αλλ' εἰδὲ τὸ οὐ Διαθήκης εἰπεῖν  
αὐτονῦνα τῷς χρεών ιδίων, μανόν δέ πεὸς διπόδειξιν αληθείας, εἴναι  
ἢ ἐσπειώσαντο νῦν καθ' ειστά, ή οὐ τῇ Διαθήκη αὐτῶν ἔχεαψεν ἑωτὸν χρεώσεν, πισεύορθυ τῇ τοιαύτῃ γεαφῇ τῷ πλεύτησαν<sup>Θ</sup>.

Ex hujus textus verbis ultimis aperte constat, verba eiusdem legis antecedentia loqui de Testatore creditore. Ex dictis patet, Assertionem testatoris factam, ad probationem sibi debitæ quantitatis non sufficere, semiplene tamen probare, sed alia adminicula requiri, juramentum sc. suppletorium. *Pacius. d. l. n. 23. Barthol. in l. 6. C. de Probat. n. 1.*

Sequitur jam Authentica nostra, quæ allegata legi 6. <sup>13.</sup>  
robur addit, & confirmat ea, quæ jam allata sunt; cum

A 3

has



*AD AUTH. LIB. IV. COD. TIT. XIX.*

hac tamen limitatione, si testator non juravit: Quod si defunctus rationes suas seu testator testamentum jumento confirmaverit, necesse habent heredes, ipsius religiosæ assertioni stare: Testator enim videtur accurate & exquisitè vires patrimonii sui declarasse, & voluisse, ut juratae suæ bonorum descriptioni stetur. *l. cum pater. 77.*  
*§. filius. 23. ff. de legat.* 2. Ponamus testatorem jurato assertere sibi deberi centum, post mortem ejus heredes petunt ducenta, idque conantur probare aliis documentis, queritur, an admittantur? Et respondetur ex n. Authent. Non solum eos non admitti ad probationem, verum etiam puniri, dum tota hereditate privantur. Ratio est contemptus religiosæ assertionis, seu Juramenti Testatoris, cum quo pro una habentur persona.

14. Rationem dubitandi movet *Bartolus ad d. l. 6. n. 3.* Testatorem potuisse errare, adeòq; Juramentum erroneum nemini debere nocere, non minus quam rationes non juratas. Quemadmodum etiam jurata successionis renunciatio nihil impedit, quo minus actio ad supplementum peti possit: uti demonstratum fuit à *Nobisissimo Dn. D. Strauchio, Praeceptore atque Patrono meo maximo, in Disput.*  
15. *IV. ad L. Decis. cap. 5. n. 25.* Verum respondet Bartolus, Juramentum valere saltem jure liberationis relictæ; Deinde is, qui renunciavit successioni, non violat jusjurandum, licet petat supplementum.


16. Assertion itaq; jurata testatoris sufficit ad probationem debitæ sibi quantitatis, contra heredes testatoris, non vero contra creditores, i. e. heredibus nocet, creditorib.

17. non nocet. Quia jusjurandum hoc in casu non obligat, nisi jurantem, ejusque hæredem, qui ad ejus observantiam compelli potest, & ita illud transit etiam ad hæredem  
18. quoad probationem. *Gail. 1. obs. 27.* Si itaq; contingere, ut



**DE PROBATIONIBUS.**

ut testator, se centum debere, religiosè assereret, & post mortem ejus creditores peterent ducenta, idque aliis documentis probarent; heredes autem objicerent testamentum juramento confirmatum, quæritur, quid sentiendum? Et respondetur ex ultimis verbis Auth. nostræ, Creditoribus nihil ex hoc, sc. testatoris juramento, præjudicii comparari, quo minus debitum ducentorum exigere possint; nemini enim in re sua creditur, ne quidem jurato. Et uti supra diximus, jusjurandum, quod personale est, alterum non ligat. Quæ assertio procedit, si ultrò & nomine deferente jusjurandum sit præstitum. Secus est, si jusjurandum fuerit delatum, quo casu jurans se liberat ab actione adversarii, & postquam juratum est, denegatur in eum, qui juravit, actio. l. ait Prætor. 7. ibid. Gothofr. in not. ff. de jure jur. Vid Cöler. p. 1. decif. 198.



*In Autb. de testib. §. quia verò multi. coll. 7.  
constit. 2. seu Novell 90. c. 4.*

**A**T qui semel produxerit testes, aut bis, aut ter, & testificata tractaverit, aut ab adversario hoc faciente disputationem acceperit, & ex hoc testificata didicerit, non habebit licentiam ulterius uti productione testium, ex divina etiam jussione. Si vero hoc non egerit, tunc danda est quarta produc<sup>tio</sup> testium, sacramento ab eo prius dando,

AD AUTH. LIB. IV. COD. TIT. XIX.

do, quod neque substraxerit, neque per-  
cunctatus est ipse testificationes, vel aliquis  
advocatorum ejus, vel alius pro eo agens:  
nec per dolum, nec per machinationem,  
vel artem, quartam productionem testium  
petat fieri.

SUMMARIA.

1. Summa Nov. 90. ex qua nostr. Auth. desumpta est;
2. quare recte legi 19. C. de Probat. subjuncta.
3. d. l. 19. explicatur, & per Auth. nostr. limitatur.
4. Glossa alium locum ei tribuit, sed frustra.
5. Summa u. Auth. ejusq; ratio, suspicio subornationis.
6. Dubium moverur, & respondetur dupliciter.
6. Admittitur interdum secunda tertia & quarta testium producio,  
& prejudiciis aliquot confirmatur.

Imperator Justinianus, Fidem & veritatem summum in  
rebus humanis bonum esse animadvertis, optimè de iis,  
quæ ad tanti boni conservationem pertinent, disposuit in  
1. Nov. 90. de testib. utpote quæ de necessitate, & utilitate te-  
stium tanquam veritatis assertoribus, tum etiam de illo-  
rum abusu, ceu veritatis destructoribus multa continet.  
Ex dicta autem Novelle c. 4. desumpta est nostra Authent.  
2. Quæ ab Innerio non incongrue sub. l. 19. C. de probat.  
posita est; quippe cum hæc lex jubeat reum tum demum  
3. probare exceptionem suam, postquam actor intentionem  
suam probaverit; licet ergo per testes actor probaverit,  
nihilominus etiam permittitur reo productio testium;  
Hæc autem legis nostræ assertio limitatur in Auth. si reus  
non habeat cognita testium testimonia.

Glossa



DE PROBATIONIBUS.

Glossa & ex ea Bartolus dicunt, quosdam hanc Authent. 4  
sub l. ult. C. de testib. ponere ; quod quidem non negaverim,  
recte posse fieri : sufficiat nobis, quod non inepte etiam sub  
hac l. 19. locum habere possit; nec satagunt rationes Gude-  
lini in contrarium sententiam lib. 4. de jur. noviss. cap. 10. n.  
21. adductæ : utique enim nostra Auth. continet limitatio-  
nem quandam rescripti, i. e. ( legis ) præcedentis.

Summa autem nostræ Auth. ( quam Sichardus sin-  
gularem, insignem & notabilem vocat, ) talis est, quod post  
didicita testificata ulterior probatio non admittatur, vel  
quod qui semel testes produxit, non possit iterum produ-  
cere, si noverit testificata. Idem cautum est in *Constit. Ele-  
ctor. Saxon. 16. p. 1. §. fin.* ubi dicitur : So soll auch nach der  
publication und Eröffnung der Beweisung keinem Theil/ es  
hätte von der Zeugen Aussage Abschrift bekennen oder nicht/  
ferner Beweisung zuführen/oder mehr Zeugen verhören zulass-  
sen gestattet werden. Ratio cur post notitiam testificatorum  
non admittatur nova productio testium, posita est in suspi-  
cione subornationis & periculi, ne quis testes novos, vel  
etiam priores, sed reproductos informet atque instruat, ut,  
quod prius dictum non est, hoc suppleat in gratiam produ-  
centis. *Nov. 90. c. 4.* Hic dubium movet l. 17. C. de testib. 5  
qua novam productionem videtur admittere : Verum in  
hac l. continetur casus exceptus, nam in ea agitur de pro-  
ductione testium in alia lite facta, quod secus est in nostro  
casu ; deinde responderi potest, quoad reprobationem te-  
stium bene posse testes produci post didicita testificata, ut  
si quis velit probare, testem productum esse inhabilem. Re-  
probatio enim est diversus & novus articulus, super quo  
testes non sunt recepti, & propterea publicatio non ob-  
stat, per textus & Dd. quos allegat *Gail. 1. obs. 105. n. 8.* Et  
hæc restrictio procedit in multis aliis causis, quas vid. apud

B

Frida-



*AD AUTH. LIB. IV. COD. TIT. XIX.*

*Fridericu[m] Proces[s]u[m] judicar. p. 323.* Ulterior ergo produc[t]io testium regulariter non valet, etiam ex divina iussione, i.e. licet Principis autoritas superveniat, quo casu Principis re-scriptu[m] secundum jus commune est intelligendum eo de casu, quo testificata quis nondum didicerit. *Sicard. ad n.*

*Autb. n. 4.* ubi tamen restrictionem aliquam apposuit, si Princeps rescripscerit, non obstante nostra Auth. alioque jure, quod post didicita testificata ulteriore testium probationem non admittit, testes esse audiendos & examinan-

dos. Quod si vero altera pars litigantium non didicit testificata, permittitur ei secunda & tertia productio testium, quod non saltem in prima, sed etiam in secunda instantia *appellationis* procedit. *cap. 17. l. de testib.* Nec interest, si te[st]e[bi]s renunciaverit, sive non renunciaverit. Quare etiam testium productio conceditur litiganti testificato-rum ignaro, non tamen aliter quam si juraverit, priora te-stimonia se nunquam didicisse, & absque ullo dolo se nova productione testium uti. Per juramentum enim tollitur omnis suspicio, & presumptiones finitiae abolescentur. Qvod si reus suspectus saltem fuerit, attestations actoris in eius notitiis venisse, nihilominus juramento se ab illa suspici-  
*Carpzov. Jurispr. For. p. 1. Const. 16. defin. 34.*

Notandum vero, quod licet facta attestationum pa-blicatione testes ad partis instantiam repeti nequeant. *c. per-tus. 48. ibid. gl. 5 Dd. X. de testib.* Secus tamen sit, si dubia & ambigua sit testium depositio, quo casu illi ad declaran-dam depositionem, repeti possunt. *Sicard. ad n. Autb. n.*  
*16. Carpzov. ad d. Const. 16. defin. 30. & in seq. defin. 32.* ubi tra-dit, testes non juratos post publicationem attestationum denuo sub juramento ad partis instantiam esse examinan-dos, per text. *in Ordin. judic. process. Elector. Saxon. tit. 20. §.*

*Wenz.*



DE PROBATIONIBUS.

Wenn es nun hierauff/etc. Ita quoque testium examen & ju-  
ramentum repetitur, cum pars adversa non sit citata, nec  
ad interrogatoria admissa, veluti in Dicasterio Jenensi m.  
Januar. Anno 1629. ad requisitionem Illustr. Regiminis  
Coburgensis responsum fuit: So viel den angemasten und  
vom Gegenthil gestrittenen Beweis anlanget/sind die abges-  
hörte Zeugen in Frist Rechens nochmahls zurepetiren, und  
Leuterat/oder vor sich oder durch einen Bevollmächtigten der  
andern production und Verendung angeregter Zeugen bey-  
wohnen wolle/gebührlich zu citiren, auch mit densē gebräuch-  
lichen interrogatorien zuzulassen. Ergehet als dann nach wie  
derhohler Abhörung der angegebenen Zeugen uff Leuteratens  
cens überreichte probatorial uñ additional Articul/wie auch  
wann sie uff Leuteratens interrogatoria endlich vernommen/  
der materialien halben was recht ist/ Von X. W. Ex hisce  
liquet, testes posse repeti & denuò produci, si receptio &  
examinatio testium, vel publicatio attestacionum non sit  
rite facta. Sichard. d. 6. n. 9. & 14. In causa quoque criminali  
ad deducendam innocentiam, post attestacionum publica-  
tionem, vel earum consecutam notitiam, licet alios te-  
stes producere. l. i. 6. sequis. ff. de questionib. Sichard. d. 1. n.  
18. Et ita in Ampliss. Facult. Jurid. huius loci m. Januar.  
Anno 1641. Ampliss. Senatui Ephordiensipro Petr. Eschs  
weilern reiponsum fuit: Das aus den acten gewisse Articul  
zuziehen/und darüber nochmahls die allbereit abgehörte/wie  
auch andere angegebene Zeugen vermittels Eydes.fleissig zu  
examiniren und abzu hören/etc. Præterea etiam post termi-  
num probatorium, & attestacionum publicationem admit-  
tenda est demonstratio velocularis inspeccio. Carpzov. ad  
d. Constit. 16. desin. 16. Et ita prælaudata Facultas Juridica  
m. Mart. Anno 1613. ad petitionem der Gemeinde zu Osse

*AD AUTH. LIBR. IV. COD. TIT. XIX.*

manifest respondit : Weil die probatio per ocularem inspectionem dermassen in Rechten privilegirt, quod etiam post conclusionem in causa peti possit : So sendt ihr auff bestimmten termin, ungeachtet dasz die attestata publicirt, zuerschein schuldig. Neq; per dictam publicationē via præcluditur probationib⁹ juris, sed semper leges&jura probari possunt. *Menoch. ub. 1. quest. 35. n. 21 de arbitr. jud. quest. Myns. cent. 6. obſſ 56. n. 14.* Ita usu&consuetudine inolevit, ut allegationes & informationes juris judici offrantur etiam post conclusionem in causa. *Monach. p. 13. process. judic. n. 5. Beust. ad l. admonendi. n. 15. de jurejur.* Et ita Facultas Juridica Lipsiensis m. Jan. Ann. 1610. in causa derer von Hesler pronunciavit: Dieweil einem ieden Part zu Recht nachgelassen/rechtliche Unterrichtung und informationes juris mit nochtürftigen allegaten schriftlich ins Gericht post conclusionem in causa einzulegen: So ist auch des von Beklagten nach geschehenen Schlußsatz producire consilium zulässlich. *Idem Sichard. d. l. n. 11.* aliam refert limitationem, quod licet ulterior testimoniū productio non admittatur, adhuc tamen instrumenta proferri: & si probatio saltē per instrumenta facta sit, post eorum publicationem adhuc probatio per testes fieri possit. Idem n. 21. tradit, si novus articulus emergat, super quo testes non sint examinati, testes denuo produci, & super novo articulo examinari posse. Et ita in Curia Provinciali huius loci in termino Egidii Anno 1635. decisum fuit: Würde Appellant wegen vorgeschüchter solution und Abrechnung die hiebevor abgehörte Zeugen anderweit repetiren, und in diesem Hoffgericht abhören lassen/ dasz so dann daraufferner erkandt werden und geschehen soll/was recht ist/ Von R. W. Plures limitationes recensent *Sichard. d. l. Farinac. de testib. quest. 66. Monach. in pract. judic. p. 11. c. 2. n. 5. & seqq.*

*COD.*



*DE TESTIBUS.*

*COD. LIBR. IV. TIT. XX.*

*DE TESTIBUS.*

*In Auth. de Testibus. §. si vero dicatur. Coll. 7*

*Tit. 2, seu Nov. 90. c. 6.*

**S**i testis productus dicatur servilis esse for-  
tunæ, & testari voluerit, ipse vero se libe-  
rum esse affirmet: siquidem ex nativitate  
impleatur testimonium ejus: ut si is habita  
disputatione servus esse apparuerit, respuatur  
ejus testimonium. §. 1. Si vero libertinum se  
dixerit, prius instrumentum suæ manumis-  
sionis ostendat, quam testificetur: nisi jura-  
verit, se alibi probationes habere: quo facto  
testificatio quidem scribatur; sed nisi instru-  
mentum monstraverit, respuatur testimo-  
nium ejus. §. 2. Si vero dicatur odiosus, ex  
lite criminis inter eos mota, & hoc apparue-  
rit: non ante audiatur, quam de crimine ju-  
dicetur. §. 3. Si vero ex lite pecuniaria vel ali-  
ter est odiosus, procedat quidem testatio,  
tempore vero disputationum, serventur hu-  
jusmodi quæstiones.



AD AUTH. LIB. IV. COD. TIT. XX.  
SUMMARIA.

1. Sedes & summae hujus Authentice.
  2. Prima ex ea desumpta regula.
  3. Ratio dubitandi cum responso.
  4. Ratio decidendi, qua duabus prejudiciis firmatur.
  5. Limitatio.
  6. Secunda Regula.
  7. Ratio differentie hujus & prioris regula.
  8. Quae dupliciter limitatur.
  9. Tertia Regula: ejus, ratio & limitatio.
  10. Quarta Regula, & ratio ejus.
  11. Limitatur tribus modis.
1. Hæc Auth. ex cap. 6. Nov. 90. descripta & l. II. C. de Testib. apposite subjecta est. Agitur a. in d. l. de liberis testibus, & qui criminis non dicantur participes, quod hi ad dicendum testimonium admittantur. In Auth. vero tum de servilis conditionis testibus, & de iis, quibus opponitur exceptio inhabilitatis ob statum servitutis, tum etiam de illis in quos inimicitia cadit suspicio, qui ex lite criminis odiofi sunt.
2. Potest ergo testis, cui questio status movet, si se ingenuum asseverat, testimonium implere.
3. Dubium autem movet, quod servus non possit esse testis, cum liberi testes postulentur. l. 8. hic, ibid. Pacius. l. II. dict. tit. cap. 10. fin. X. de V. S. additur ratio, quia saepe servus metu dominantis testimonium suppressit veritatis. Verum, d. l. 8. dicit, servos posse pro facto suo interrogari: Longe a. aliud est posse interrogari, i. e. questionibus & tormentis subjici de facto suo, quod servis competit; aliud a. testem esse in causis alienis, quod de servo negatur. Excipitur tamen casus in l. 39. §. fin. D. ad L. Jul. de adulst. ubi servi testimonium admittitur.

Ratio



DE TESTIBUS.

Ratio decidendi ex eo sumitur, quod hujusmodi exceptiones in tempus disputationis debeant reservari; cum non expedit testes reprobari tali modo, donec constet, an contra eum deposuerint, qui contra eos exceptit, cum postea post aperturas attestacionum possint reprobari, praemissa interim protestatione. *Gloss. in cap. ex part. 7. X. de Testib. verb. infames.* Et ita in Judicio provinciali hujus loci in termino Adventus, Anno 1615. decisum fuit das den Brandischen Actorn die exceptiones contradicta & personas testimoniis so wohl auch impertinentium articulorum in den fünftigen Disputationen sezen zugebrauchten unbenommen. Et in termino Oculi & Viti Anno 1627. in prælaudato Judicio hæc sententia publicata fuit: Das gestalten Sachen nach der angegebene Zeuge zum Zeugnis zugulassen/ und dahero gewöhnlichen Hoffgerichtsbrauch nach zu examiniren und abzuhören/ Es wird aber wider dessen Person und Aussage Klägern und Producten seine rechtliche Nothdurstse/ dieselbe nach eröffnetem Zeugnis vorzubringen/ nicht unbillig vorbehalten/ von R. W.

Quod si tamen post depositionem ex adversarii disputatione probatum fuerit, eum reverâ servum esse, rejicitur ejus testimonium, & habetur pro nullo; c. 6. Nov. 90. Quod enī ab initio viciōsum est, non potest tractu temporis convalescere. l. 29. D. de R. f.

Porro si ejusmodi testis se libertinum asseruerit, testimonium implere prohibetur, priusquam instrumentum sux manumissionis ostendat; Ratio enim differentia inter hunc & supra n. 2. alleg. testem in eo est, quod is, qui dicit, se libertinum, videtur simul confiteri, se servum fuisse: hinc oritur præsumptio, quam statim instrumento manumissionis refutet. vid. Bartol. n. 1. & 6. Si tamen juramentum præstiterit, se quidem instrumentum

AD AUTH. LIB. IV. COD. TIT. XX.

tum habere, se tamen impediri ab ejus productione, vel quod non sit ad manus, vel ex alia ratione, testimonium ejus admittitur. Tenetur tamen postea hoc instrumentum edere, quod si non fecerit, rejicitur, ac si neque datum fuerit.

9. Denique rejicitur testimonium ejus, qui cum adversario suo inimicitias alit ex causa criminali. Talis enim adeò suspectus est, ut certum videatur, ipsum depositum esse contra eum, quem odio prosequitur. De criminis vero postquam judicatum sit, & causa cognita, testimonium ejus valet: quamvis hanc limitationem rejicit Rittershusius ad hunc loc. n. 23. & dicat eam ex vitijsa translatione ortam esse. Vetus interpres inquit ibi, hic male vertit: donec de criminis judicetur, cum in græco textu non sit εἰς donec; sed ἀς, tamquam: & hæc vitiosa versio postea etiam interpretibus erroris ansam præbuit.
10. Secus est, si cui odium ex lite pecuniaria, vel ex alia causa non capitali, objiciatur, talis enim testis admittitur: quia tale odium non præsumitur tam grave. 1. Hujusmodi vero exceptiones, uti supra diximus & probavimus, ad tempus disputationum reservantur, ubi si adversarius probaverit iudicii, testem ob hujusmodi odium satis esse suspectum, testimonium habetur pro nullo. 2. Perinde est si lis inter ipsos de statu agitatur. arg. §. item is. 12. Instit. de Excusat. Tit. in quo controversia status æquipararunt inimiciis capitalibus, ex iudicio capitali ortis, de quibus §. precedente dict. tit. 3. Et denique si lis pecuniaria de omnibus bonis vel majore eorum parte agitatur, quo casu testis plane non auditur. Gloss. bic. arg. l. fin. C. de revoc. don. in qua vita periculum illatum, & damnum majori bonorum parti datum, æquiparantur. Diff. Meier. in Colleg. de testibus. tb. XXI.

DE TESTIBUS.

In Auth. d. Testibus. §. Et liceat. collat. 7.

Tit. 2. Nov. 90. c. 2.

**R**Ogati, ut in testamentis, non fortuiti vel transeuntes veniant. Idem est, si post solutionem rogati intersint confessioni creditoris, dicentis pecuniam sibi debitam solutam fuisse.

SUMMARIA.

1. 2. Sedes nostr. Auth. ejusq; summa recensetur.
3. Prior pars n. Auth. agit de conditione & qualitate resuum.
4. Ratio & occasio hujus constitutionis exponitur.
5. Obiectio.
6. Ad illam respondetur.
7. Authentica Pars altera legis precedentiis 18. productionem continet.
8. Questio circa probationem confessionis.
9. Ratio dubitandi.
10. Adeam responderetur.

**D**Esumpta est hæc nostra Authentica Rogati, ex Novell. 90. capitulo secundo & tertio, & annexa legi 18. C. de testib. cuius partim limitationem partim, ampliationem continet, ut ex subsequentibus latius apparebit.

Summa ejus talis est. Si debitum aliquod in scriptis confectum est, probatur ejus solutio per testes, illi autem non debent esse fortuiti, ita ut easu aliquo superveniant, sed debent specialiter rogari, perinde ac in testamentis: Idem testes requiruntur, si post solutionem creditor confiteatur, se debitum suum recepisse.

C

Agit

AD AUTH. LIB. IV. COD. TIT. XX.

3. Agit itaq; prima pars nostræ Auth. de conditione testium, eorumq; qualitate , per quos debiti scripti facta solutio probatur, absq; tamen scripto , seu fine scripta apacha, (securitate) quam vulgo quietantiam appellare solent. Imperator enim postquam in l. 18. sanciverat, solutionem debiti seu chirographi per quinq; testes recte probari , si quidem idonei, & summæ atq; integræ opinionis , solutioni celebratæ præsto fuerint, & sacramenti religione, sub sua præsentia debitum esse solutum , deposuerint ; requirit porro in nostra Auth. hos testes specialiter ad hoc rogari oportere, ut velint solutioni jam faciendæ interesse, eodem modo ac si ad solennitatem alicujus testamenti requirantur. *I. heredes 21. §. fin. D. qui testam. fac. poss. l. ult. §. ult. C. de codicillis*, qui ergo casu fortuito adveniunt, vel in transitu de solutione auditunt, testari non possunt.

Rationem & occasionem hujus constitutionis redit Imperator in Nov. 90. c. 2. ibi. Hæc namque aperte nobis suspecta sunt, & nulla ratione digna &c. Sed quoniam vulgatæ versionis autor, seu Bulgarius ille fuerit seu quisquis alius, ut alibi ita hic satis appareat impolitus, ut neque verborum constructio sat apte cohæreat, neque rei sensus percipiatur , textum Græcum lubet apponere : ἀνταὶ γὰρ σαφῶς ήμῖν ὑπόποιοι καθεστῶται, καὶ δένος αὐξαῖ λόγοι. ὅποτε καί τι τοιχονέντων τῷ διηγένειν ἔυρεται, οἵ τοι πολλῶν χειριστῶν λεγομένων καταβεβλῆσθαι, παθελάρξοι δύο μάνοι τοῦτο ἔφασσιν, αἰκινοένται, μάρτυρες παρέστησθενοις, καὶ τοι τὰ χειράφων τογχάνονται, καὶ τὰ καταπίθεμά τους δῆθεν χειρέσιμά τους, καὶ δυναμήτων δι' οἰκείων χειριστῶν ταῦτα φανερά καταστῆσαι. ὅπερ εὖ ὄκείν τις μαστίσαντες, αἴφοιμην τὸ παρέστησθαι εἰλήφαρτον νόμον. Καὶ ἀντίς παρηχθῆται τὸ ἔτερον τὸ εἶδος ἐοικώς τῷ συνεφαντεμένῳ, καὶ μὲν μαρτύρεων δῆθεν καὶ παθελαρξίων κατετίθεται, καὶ δέ εἰσιν χρέα, καὶ οἱ μῆτραι τοῦτο πεδίζασι απῆλθεν, ἔτερον δέ εἰσεπεκάχθη τὸ χεῖσθαι τὸ παρέστησθαι τοὺς οὓς παρέστησθαι δῆθεν ομολογη-

## DE TESTIBUS.

λογηθέν. καὶ τότε ὑπεργυ & διέλαθε. τῷ δὲ τῷ πιάντα μέχει παντὸς & συγχωρεῖται κατακρύπτεσθ.

Quæ Haloander ita transitulit p. 154. Manifestè enim ea nobis suspecta & nullius esse preciū videntur, & maximè postquam hujusmodi aliquid & in causarum cognitione depræhendimus. Siquidem cum magna pecunia summa soluta diceretur, duo tantum tabularii se id audisse ajebant, nullo teste præsente: quanquam debitum scriptura intercedente contractum esset, & is, qui solutionem peregerat, sciret scribere, possetque per propriam scripturam ista manifesta facere; quod semper ab eo tempore exodi præsentis legis ansam apprehendimus.

Rursus aliis quidam speciem de se præbens calumniantoris, productus coram testibus & tabulario, juratus debere se confessus est, deinde qui mercede conductus id egerat, decessit, ab altero vero, quod ille alias tanquam suum testato professus erat, id debitum exactum est, neq; hoc postea latuit, nimirum Deo non concedente talia perpetuo occultari.

Præsumtio igitur legis est, quam juris & de jure vocant, ex qua legislator jus hoc universale condidit, cum n. ex facto deprehensum fuit, ex defectu idoneorum testium multas calumnias ac falsitates circa solutiones confessionesque processisse, ideo præsumit, testimonia ex transitu prohibita, h. e. à non rogatis, falsa & inania; & super tali præsumptione firmum jus producit, non adhibendos testes, nisi rogatos.

Hic dubium movet *I.II.D.de testibus*, quæ verbis expressis s. sancit, ad fidem rei gestæ faciendam etiam non rogatum testē intelligi. Sed loquitur Ictus Pomponius de eo, quod 6. regulariter evenire solet; excipiuntur tamē 4. casus, in quibus specialiter rogari debent, quos notat *Gloss. ad nostr.*

**AD AUTH. LIBR. IV. COD. TIT. XX.**

**Auth. & Sichardus** hic n. 2. Aliter alii: dictam sc. 1. esse abrogatam, adeòq; semper rogatos requiri, sed male secundum gloss. ibid. Distinguunt alii, in iis, quæ fortuito eveniunt, admitti testes fortuitos. d. l. II. Cujac. ad n. Nov. ex Harmenopulo: hos tamen omnes rejicit *Paci*us Commentar. b. n. 55. In dubio denique an præsumantur fuisse rogati? quæritur. Affirmat *Sichard* b. n. 3. contra Bartol. Vid. Mantic. 2. de conjectur. II. 52. quem allegat *Gotfred*. in not. ad n. Auth. sub lit. I.

7. Altera pars nostræ Auth. continet productionem legis præcedentis 18. quâ constitutum, testes dicto modo posse probare, si interfuerint solutioni celebratæ. Auth. autem eò producit, ut si talitem post solutionem celebratam rogentur, velint confessioni creditoris de facta solutione præsto esse, quod etiam tum testimonium eorum valeat. Sive ut Imperator in Nov. loquitur, dum ad hoc ipsum assumentur, ut pro memoria factæ alicui jam solutionis, & confessione ejus, qui accepit, testimonium perhibeant. Loqui autem hanc Nov. non de sola confessione creditoris, sed debitoris etiam late demonstrat *Paci*us Comment. int. 18 n. 55. C. de testib.

8. Sed quæritur, an ad confessionem probandam etiam quinque testes necessarii, ut ad solutionem requirantur. Ratio dubitandi, quod in Novella non exprimatur certus numerus, adeòque nonnulli velint, duos tantum sufficere, per l. 12. D. de Testib.

Resp. Gloss. ex Azone, eandem esse rationem hic solutionis & confessionis. Alii distinguunt inter rogatos, quorum duo sufficient; & non rogatos, quorum quinque requirantur: Sed prior sententia verior videtur. Notandum v. hanc assertionem exaudiendam esse de confessione extrajudiciali: secus v. est in judiciali, quæ plenam



DE TESTIEUS.

plenam facit fidem , etiam si nulli testes intervenierint ,  
per l. 1.3. & l. 6. in pr. ff. de confess. & l. post rem. 56 ff. de  
re judic.

¶ ¶

In Auth. de Testibus. §. Et hoc vero quia mul-  
toties. coll. 7. tit. 2. Nov. 90. c. 9.

Sed & si quis ab aliquo aliquid patiatur con-  
tra leges , aut aliter læsus , aut damnum pa-  
tiens , & testes apud judicem producere volu-  
erit , & eorum testimonia publicare ; adver-  
sarius moneatur à judice , & sic eo præsente ju-  
dex attestations recipiat . Quod si venire no-  
luerit , etiam eo absente attestations recipiat ,  
& perinde valebunt , ac si eo præsente receptæ  
fuissent : nec opponere poterit , quod ex una  
parte datæ sunt .

SUMMARIA.

1. Authenticata unde desumpta.
2. Ejus summa.
3. Regulariter fecus est , ex duabus rationibus.
4. Recensentur causa , quibus productio testimoniū ante litis contestatio-  
neum permissa est.
5. Differentia horum casuum , hujusq; ratio.
6. Plures casus excepti.
7. Citatio adversarii necessaria.
8. Ejus ratio redditur.
9. Obiectum & responderetur.
10. Si altera pars contumax , contra eam proceditur.

AD AUTH. LIB. IV. COD. TIT. XX.

1. **H**ec Auth. ex Novellæ 90. capite nono desumpta, & l. 19. C. b. t. subjecta est, quæ loquitur de testibus, post litis contestationem productis, id quod regulariter fieri solet. *Bartolus hic.* Summa autem nostræ Auth. innuit, quod testes etiam ante litis contestationem interdum recipiantur, & parte legitime citatâ publicentur, & valeat probatio ad æternam rei memoriam. *Baldus.*
2. Regulariter a. testes post litis contestationem producuntur. t. t. X. ut lit. non contest. Rationem reddit Bartol. ad n. Auth. in fin. quia cum possit agere actor, imputet sibi, quod non agat, & item contestetur, & sic testes examinentur post litis contestationem. Luculentior reddi ratio ex eo posse videtur, quod productio testium sit species probationis. Probatio porro est negatæ intentio-  
nis confirmatio, sive rei ex adversarii negatione dubiæ demonstratio. Atqui intentio actoris non nisi litis contestatione negatur. Probatio igitur seu per testes seu per instrumentum post litis contestationem dænum locum invenit.
3. Ex certis tamen causis actor potest ante litis contestationem testes producere. 1. Si metus fit, ne proces-  
su temporis probationis causa valeat depcrire. c. signifi-  
cavit. 41. X. de testib. & attestat. quo casu productio & ex-  
amen testium ad perpetuam rei memoriam peti potest,  
ut si dubitetur de morte eorum, vel diurna absentia, l. 40.  
*D. ad L. Aquil. l. laudabile 4. C. de Advoc. div. jud. §. quoties.*  
l. fin. C. de usur pupill. cap. quoniam. X. ut liti non contestata.  
*Carpzov. part. 1. const. 16. def. 35.* dubitatur a. de morte  
testium, quoties imminent casuum aliquis in l. 3. fin. cum  
ll. seqq. de donat mort. caus. express. *Bart. b. n. 3. & 11.*  
Alter casus, quo testium productio ante litis contestatio-  
nem permissa, est; quando actor non potest supervenire  
agenda



**DE TESTIBUS.**

agendi facultas, nisi examinatis testibus, ut in l. publicati.  
2. C. de testamentis. l. 1. & 2. C. de Bon. poss. secundum tab.  
l. 2. quemadmod. testam. aper. Bartol. b. n. 4. s. 5. & 12.  
Ratio, quia si non potest agere, non est quid sibi impute-  
tur, posseque aliae probationes deficere. d. n. fin. Quan-  
quam n. Actor & reus differant, quod hic in omnem even-  
tum & indistincte ante litis contestationem testes produ-  
cere, & ad perpetuam rei memoriam examen petere  
possit, cum incertum sit, quando ab auctore conveniatur:  
Actori tamen ad fundandam suam intentionem quan-  
doque, si sc. facultas agendi non est in ejus potestate, vel  
si reus opposuit exceptiones, quæ impediunt litis conte-  
stationem, & processum differunt, conceditur, testes ante  
litis contestationem producere, veluti Nobiliss. Facultas  
Juridica hujas Univers. in citate mens. Novembr. Anno pro-  
xime præterito 1659. ad requisitionem Illust. Regiminis Hil-  
desiensis pronunciavit: Das zwar nunmehr mit den ges-  
suchten Beweis ad perpetuam rei memoriam zuverfahren/  
es ist aber dem Beklagten/ wenn Kläger seine Klage fort-  
stellen/ und sich solches Beweisthumbs fünftig gebrauchen  
wirde seine habende exceptiones und andere rechtliche Noth-  
durft zu repetiren und einzutwenden unbenommen / von  
Rw.

Notandum autem, quod in priori casu, quando de s.  
morte vel absentia testium dubitatur, testes examinari  
tantum possint, in posteriori vero etiam publicationes  
fieri. Ratio, quod in priori casu nulla immineat neces-  
itas nisi in examinatione, quod secus est in casu poste-  
riori, quo etiam publicatio conceditur.

Nec obstant verba Auth. n. (producere & publicare,) & in d. Nov. (audire attestations:) Vocabulo n. (publica-  
re) significatur consignare manu notarii, qui persona  
publi-

AD AUTH. LIB. IV. COD. TIT. XX.

publica: Attestationes vero significant Jusjurandum, uti latius hac de re *Gloss. ad b. Nov. lit. b. Pacius comment. ad l. 19. b. n. 10. & 11. Carpz. ad. Const. Elect. Saxon. 16. p. 1. def. 36.*

Semper tamen, uti diximus, reo ante litis contestationem testes producere permisum est, *arg. l. pure. §. fin. D. de except. dol. l. pupilli. C. de usur pupill. cap. Albericus. X. b. quorum testimonia publicantur. Ratio prioris, quia non est in ejus potestate, quando conveniatur. Gloss. ad Nov. 90. n. 9. Carpz. d. def. 35. n. 4. & 7. Dummodo lis ab auctore nondum sit mota, Vid. H. Pistor. P. 1. quest. 39. A. Fabr. lib. 4. Cod. tit. 14. D. 1.*

Porro qui actoris & rei vices sustinet, hoc est, qui agere potest & excipere, ille etiam petere potest examinationem & publicationem testimoniū. *c. Alberibus, & c. significaverit. X. de testib. quia nemo cogendus est ad agendum, cum id ipsum etiam in potestate sit sui adversarii,*

6. *Plures causas exceptos vid. apud Speculator. Tit. de Testibus. §. nunc. Confer Rosbach. process. tit. 59. Berlich. P. 1. Conclus. 46.*

7. *Requiritur autem necessario, ut adversarius citetur, & testes eō presente recipiantur, ut vult Auth. & l. praecedens. Carpz. d. def. 35. n. 8.*

8. *Ratio in promptu est, quia quod sit vel geritur me ignorantē & absente, contra me non debet valere. Hinc nullus actus judicialis valet parte non citata. Pac. d. l. 19. 9. n. 10. Sed dubium movere posset, quod depositio debeat esse arcana, donec publicetur. l. nullum 14. C. b. t. sed responderi potest, Citationē partis fieri, non ut ad sit depositioni, sed productioni & jurisjurandi præstationi. Pac. d. l. Pars igitur adversa, contra quam testes producuntur, citari debet ad videndum jurare testes, & dandum inter-*



*DE TESTIBUS.*

interrogatoria. Et ita probatio ad perpetuam rei memoriam fieri debet utraque parte praesente vel citata. Gail. I. observ.

94. n. 4. Et ita in Collegio Juridico hujus Univers. incl. mens. Febr. Anno 1620. ad requisitionem Wolfgangi Flemming/Questoris zu Dölln respousum fuit: Dicwal das Gegenheil nicht vorgeladen / bey Bereyding der Zeugen zu seyn / und do es Ihme beliebet/interrogatoria zu übers geben / vielweniger Ihme eine Abschrift der Articul zukommen: So ist die articulirte Gerechtigkeit / wie zu recht erheblich/nicht erwiesen. Hæc a. assertio limitatur à Gailio A. l. si periculum sit in mora.

Ita quoque si altera pars contumax fuerit, vel compari parere noluerit, proceditur contra ipsam, & receptio testium sit eo absente. Auth. hic.

Nemini enim debet ex protervitate sua juvamen effici. Nov. 90. c. 9. l. 134. s. 1. D. de R. J.



*COD. LIBR. IV. TIT. XXI.*

*DE FIDE INSTRUMENTOR. &c.*

*In Auth. de testibus. §. & quoniam §. & hæc omnia coll. 7. tit. 2. Nov. 90. c. 5.*

**A** Pud Eloquentissimum aliquem judicem vel defensorem civitatis sive à Provincia in Provinciam: vel ab urbe in urbem, sive ab urbe in Provinciam hæc petantur, sed

**D**                    **hoc**

*AD AUTH. LIB. IV. COD. TIT. XXI.*

hoc in civilibus tantummodo causis. Nam  
in criminalibus testes apud judicem repre-  
sentandi sunt, ut cum res exegerit, tormen-  
tis subjiciendi.

SUMMARIA.

1. *Fundamentum n. Auth. unde desumptum.*
2. *Recensetur ejus summa.*
3. *Eiusdem divisio in duas partes.*
4. *Judex qualis hic requiratur.*
5. *Dubium ex Novell. 60. cum responsione.*
6. *Altera pars n. Auth.*
7. *Eius ratio affertur.*
8. *Casus, in quibus testes tormentis possunt subjici.*

1. *C*ontinetur in *Nov. 90. cap. 5.* fundamentum hujus Auth. notabilis, uti eam vocat *Gai. I. observ. 96. n. 10.* quæ *I. 18. C. de fid. instrum.* cui subjuncta est, ampliat partim, par-  
tim restringit. Summa ejus hoc vult, quod testium rece-  
ptio eorumque examinatio committi possit Judici in *alio*  
*loco degenti*, quod tamen in civilibus saltem causis, non  
3. vero in criminalibus procedere debet. *Dux* vero in hac  
Auth. partes considerandæ veniunt, quarum prima, uti  
modo dictum, ampliationem continet regulæ in *I. præce-  
dente positz.* Nimirum Regula est, Judicem posse exami-  
nationem testium absentium illius territorii Judici in quo  
testes vivunt, committere. Rationem reddit Imperator  
in *Nov. 90. c. 5.* hoc valere propter abundantiam pro-  
bationum, quæ alias per testium evocationes ex locis re-  
motis nimis angustetur; facilitatur vero, si ad testes ipsos  
mittatur: probationum enim copiam ampliandam potius  
quam



DE FIDE INSTRUMENTOR. &c.

quam angustandam à Dd. communiter statuitur: Neque etiam hæc testium examinatio facta in alio loco, impedit, quo minus negocium ad priorem judicem referatur, & judicium per sententiā definitivam ibi ubi, cœptum finiatur. Aliam rationē suppeditat *Magnificus, Nobilissimus & Consultiss.* *Dn. Praes, Praeceptor, & Promotor meus venerandus, decision. p.t.* *decis. 15. n. 8. seqq.* quod hodie neque delinquentium, neque testium reniissiones sint necessitatis, sed saltem voluntatis, & honestatis. Hac etiam de re testiumque examine agitur in noviss. Ordinat. Provinc. Jenens. cap. 30. §. ult. ubi ita cautum est: Woferne Zeugführer ausländische Zeugen / der Wahrheit zu Steuer/nicht aber zur Verzögerung der Sachen / angeben würden. Sollen Ihm/ auff sein suchen / Compas. Brieffe mitgetheilet / die Articul und Fragstücke / so wohl der Zeugen Nahmen / der Obrigkeit / unter welcher die Zeugen wohnhaftig / zugesertiget/ und in obbestimpter Frist / solch Zeugnis wohl verschlossen eingebracht werden.

Sed in Auth. dicta Regula porro producitur, ut Jūdex, cui testium examinatio demandatur, sit non modo Eloquentissimus sed & defensor civitatis. Græcè sic loquitur Imperator: παρ' ἐν τῷ τῷ σὲ οὐ μῶν ὀρεσμόντων ἐλλογμωτῶν δικαστῶν. Haloander: apud unum aliquem selectissimorum à nobis deputatorum judicum. Rectius quam vulgatus, q. τῷ ὀρεσμόντῳ fuisset scriptum. Hesychius: ἐλλόγμῳ, γεγαιματορύῳ. h.e. literatus. Alias idem quod λόγῳ, celebris, clarus. ἐλλογμωτῷ ergo Clarissimus, quo titulo Praesides gaudent in Jure nostro. Quare Clariſſimi potius quam Eloquentissimi Judices hi salutandi fuissent Interpreti latine, cum magis Juris Scientiæ quam Eloquentiæ operam dedisse referat. l. 2. §. 40. de O. 3. Atquæ Praesides hic intelligi patet ex statim subsequen-

D 2 tibus



*AD AUTH. LIB. IV. COD. TIT. XXI.*

tibus verbis Novellæ, ut adeò parum eruditè Gloss. Ordinarios exponat.

Nec soli tamen Præsides, sed & Defensores Civitatum testes examinandi Jus habent. Ab his n. non tantum appellatur ad Præsides, *Nov. 15. c. 5.* sed & ipsi horum vicem gerunt, *c. 3. d. Nov.* ubi plura de eorum officio. *add. Gudelin. de Jur. Nov. lib. 5. c. 7. n. 23.* Notitiam horum judicium, qui testes hicc examinandi Jus accipiunt, describit *Justinianus Edict. 1. ubi vid.*

5. Dubitandi rationem *Nov. 60. c. 2. in pr. Et* §. 1. movet, ubi satis expressis verbis præcipitur, testes adhibendos coram ipsis Magistratibus seu administratoribus, quia multo melius & perfectius causæ coram ipsis moveantur, quam apud Pedaneos judices. Verum responderi potest, hoc quidem verum esse, interim tamen non negatur in *d. Nov.* quod etiam alii judici seu Administratori committi possit testium examinatio; Glossa, & qui eam sequuntur, distinguunt inter Jurisdictionem habentes & non habentes, quod sc. illis delegatio concessa sit, his non item, & quicquid tandem sit: Indistincte tamen Praxis hodierna & consuetudo admittunt commissionem & testium examinationem, coram alio judice: Sæpiissime n. contingit, ut judices absque consensu partiuni id demandare soleant Notariis, teste *Pacio in Comment. ad l. 18. C. b. n. 4. Carpz l. 3. Rep. 77.* Deinde nihil referre inquit Auth. n. sive testes & litigantes sint in diversis Provinciis sive in urbe Constantinopoli seu Romæ testes, litigantes in 6. Provincia, seu hi Romæ, illi Constantinopoli. Judex ergo testium examinationem potest committere alii, non tamen nisi in civilibus causis, quæ limitatio altera pars est nostra Auth. In Criminalibus vero testes ab ipso judice examinandi sunt, coram quo lis est contestata.

Ratio-



**DE FIDE INSTRUNENTOR. &c.**

Rationem differentiæ innuit Imperator in d. Nov. c. 3. si. & explicat Rittersb. P. 9. C. 22. n. 18. videlicet quia maximum in hoc casu versatur periculum, ut proinde testibus potius credi oporteat, quam testimoniis, ut loquitur D. Hadrianus l. 3. §. 3. D. de testib. Deinde quia hoc casu potest etiam aliquando ad torturam perveniri, ut proinde omnino testimoniū præsentia necessaria sit. Vid. Rittersb. d. l. Cum a. non 8. parvi sit momenti, tormentis aliquem ad dicendum testimoniū compellere, videamus unum & alterum textum, quibus hoc conceditur: qualis in l. 18. §. 3. D. de questionib. habetur. Si testis veritatem dicere nolit, qui tamen eum facto intervenisse dicatur; item in l. 3. C. de abolitionib. Novell. 9. c. 1. Jure Canon. c. 4. quest. 5. caus. 5. Vid. Colleg. Arg. de Question. th. 12. XI. Carpz. Prax. Crim. P. 3. quest. 119. n. 46. Derogatum tamen Juri Communi à Carolo V. in P. H. Q. videtur, art. 72. ubi conceditur Judici alterius territorii in criminalibus etiam testes examinare. Quod utilitatis publicæ gratia, ne sc. delicta maneat impunita, receptum esse refert Gail. d. Obs. 96. n. ult. Idem tradit Sichard. ad hanc Auth. n. ult.

██

*In Auth. De His qui ingrediuntur ad appell.*

§. illud etiam judicavimus. coll. 5. tit. 4.

al. II. Nov. 49. c. 2.

**A**D hæc, ex his literis, quibus adversarius tuus utitur & profert; recte petis examinationem fieri. Item & charta, quæ profertur ex Archivo publico, testimonium publicum habet.

AD AUTH. LIB. IV. COD. TIT. XXX.

SUMMARIA.

1. Emendatur l. 20. C. de fid. Instr. per n. Auth.
2. Scripturarum collatio quid sit.
3. De ea notanda est regula, cum exceptione gemina.
4. Propositur casus.
5. Ratio dubitandi ex d. l. 20.
6. Affirmativa ab Imperatore decidatur.
7. Decisionis ratio.
8. Altera pars n. Authentice.
9. Circa hanc dubitatur duplicitate.
10. Ad allata dubia respondetur.

Postquam Imperator in l. 20. C. de fid. Instr. ostendit, quomodo comparationes scripturarum fieri debeant, limitat d. dispositionem in n. Auth. velut ipse in Nov. loqui amat, per hoc schema emendat: Ita ut comparatio recte fiat ex scriptura ab adversario producta, vel publico archivio de-  
prompta.

2. Agit igitur n. Auth. de scripturarum collatione, quam ita cum Pacio ad l. 20. n. 4. lubet definire, quod sit duarum pluriumve scripturarum legitime per judicem & viros peritos facta collatio, ut earum similitudo vel di-  
versitas appareat, & ita scriptura dubia per non dubiam confirmetur aut reprobetur. De hac scripturarum collatione notanda est regula in l. jam allegata 20.. Quod nunquam ex privata scriptura fiat computatio, seu collatio, nisi habeat subscriptionem trium testium. Excipitur in Auth. 1. scriptura ab adversario producta, quæ absque testium subscriptione, cum alia quadam confertur. 2. etiam illa, quæ ex archivio publico deponitur.

4. Res ut eo fiat clarior, hunc fingamus casum: Primus petit à secundo centum ex chirographo à tertio no-  
mine secundi scripto: Secundus negat deberi, proferens char-



**DE FIDE INSTRUMENTOR. &c.**

chartam contrariam ejusdem tertii manu scriptam, qua primus nullam à se factam fuisse numerationem fatetur: Primus negat chartam istam à tertio scriptam. Hinc petit secundus comparationem institui ex eo chirographo, quod ante primus contra eum produxerat. Quæritur jam an hæc collatio legitime fieri possit?

Ratio dubitandi desumitur *ex d. l. 20. C. de fid. Instr.* §: quia oportet ex publicis instrumentis fieri comparationem, non autem ex privatis, nisi trium testium subscriptione munitis. Ratio antecedentis ibidem redditur, propter crimen sc. falsitatis: At vero in præsenti causa talis non est, qualis in *d. l.* requiritur.

Decidit Imperator affirmativè. Ex literis, quibus ad- 6.  
versarius tuus utitur, inquit in Auth. & profert, recte petis examinationem fieri.

Rationem reddit *in d. Novell. 49. c. 2. § 1.* Cui enim 7.  
ipse adversarius credidit, hoc non accuset, neque sibi ipsi resistat, & quod semel approbavit, non debet amplius reprobare. Idem jus observatur circa productionem testium *in l. 17. C. de testib.*

Altera pars nostr. Auth. hoc casu comprehendendi potest. 8.  
Secundus profert scripturam ab ipso primo confectam, qua primus confitetur se nullam adhuc solutionem fecisse ad chirographum secundi: Primus negat prolatam scripturam sua manu confectam esse: Petit ergo secundus collationem institui, cum apocpha quapiam, quam ex arca Præfecti Prætor. vel ex publicis monumentis confectis apud Magistrum census, aut defensores civitatum protulit. Quæritur, an ex allegatis instrumentis veritas chirographi prioris legitime indagetur. Dubitandi rationem assert argument. *Hugolini ap. Sichardum ad l. 19. C. de fid. instr.* qui putat, comparationes tantummodo posse fieri inter scripturas ejusdem



**AD AUTH. LIB. IV. COD. TIT. XXI.**

eiusdem generis, per consequens nullam fieri ex publica ad privatam, quia ex diversis speciebus illisque imperfectis non possit conflari una aliqua perfecta species: quemadmodum imperfectae aliquot excusationes conjunctæ, non perficiant totam & legitimam excusationem à tutela, per l. un. qui num. tutel. se excus. ita nec diversarum specierum scripturas perfectam confidere probationem.

Altera dubitandi ratio, quod testium subscriptio ut in priori casu desideretur in scriptura prolata: neq; à Tabellione sit conscripta, quod tamen desideretur in l. 20. ideo malè collationem institui.

Sed respondet ad primam Azo, ex diversis speciebus non quidem nasci aliquam integrum speciem, nisi illæ diversæ species symbolisent, i.e. aliquo modo convenient, ut hic; melius Joannes, qui sine distinctione dixit: Ex quibuslibet, legitimis tamen, ad quaslibet scripturas sine discrimine posse fieri comparationem. Ad secundam respondet, recte institui Collationem, quia talis scriptura testimonium publicum habet, Auth. hic, imo propriè publicum esse inquit Cujacius, & differre à forensi instrumento, quod hoc à persona publica scribatur. Disserit Pacius in d.l. 20. n. 9. & ex mente Justiniani eadem esse forensia & publica instrumenta. Forense n. ab eo appellari id, quod à Tabellione scriptum est, h. c. publicum. Sed ambiguitas vocis publici, quod vel generalius vel specialius accipitur, disensem tollit.

*Vid. Colleg. Arg. de fid. instrum.  
thes. 8.*

*In*



*In Auth. de Instrumentor. caut. Et fid. §. oportet.*

*Et §. seq. coll. 6. tit. 3. al. 2. Nov. 73.*

*cap. 8. Et 9.*

**A**T si contractus fiat in civitate, & unam libram auri excederit, omnimodo collationi adsit argumentum quodlibet, nec creditur ei soli.

#### SUMMARIA.

1. Repetita Regula proxime precedente, subjiciuntur adhuc alia limitationes d. l. 20.
2. Limitationis ratio.
3. Dubitatur de hac limitatione.
4. Altera parte hujus Auth. ultima habetur l. 20. restrictione.
5. Auri Libra, solidus, quid valeant.
6. Ultima restrictionis ratio in equitate posita.

**S**ubjunguntur in hac Auth. præter illas superiori prolatas adhuc aliæ limitationes l. 20. C. d. t. Allata est a. in 1. Auth. proxime præcedente regula ex l. 20 quod nunquam ex privata scriptura fiat comparatio, nisi habeat subscriptionem trium testium. Rationem ex aliis profert & approbat August. Barbos. ad n. Auth. n. 2. quod hujusmodi comparatio literarum sit fallax & periculosa, cum multi reperiantur, qui alienas manus imitari possint & soleant, ita ut nulla cognoscatur differentia inter veram & fictam manum, prout etiam Mascard. in tr. de probationib. conclus. 330. n. 2. Et 3. refert, se novisse hominem, qui veloci manu quascunque literas & characteres effingere potuerit. Prædictæ a. regulæ in n. Auth. affertur nova & tertia limitatio, & restringitur necessitas subscriptionis trium testium ad

Civitates seu eas personas, quæ in oppidis contrahunt. Comparatio itaque literarum probat, quando privata scriptura, in civitate dicto modo facta, à tribus testibus in ea nominatis & descriptis est recognita. *August. Barbos ad b. n. Auth. n. 3.* ubi plures allegat Dd. Vigore a. *bujus n. Auth.* excipiuntur rustici, qui in agris & villis habitant: inter quos collatio ex privata scriptura concessa est, licet trium testium subscriptione non munita, 2. neque ex archivio publico deprompta sit. Ratio in aper- to est, quia in agris multa simplicitas, & neque scribentium aut testium multorum copia est: quare ob eandem tatio- nem & in testamentis rusticitati eorum consultum est, ita ut rustici in rure vel pagis testantes non sint adstricti ad solennitates, quæ alias in testamentis requiruntur, sed eorum testamenta, sive in scriptis, sive per nuncupationem facta valeant, si coram quinque testibus præsentibus fue- rint condita, ut videre est *ex l. ult. C. de Testam.* ubi expresse dicitur, rusticanos testari posse secundum antiquam eorum consuetudinem, quæ legis vicem obtineat. *Nicol. Reusner. tract. de Testament. vol. 2. part. 4. c. 15.* ubi rationes hujus privilegii recenset, sc. idoneorum testium ruri habendo- rum difficultatem & raritatem, rusticorum simplicitatem, & literarum imperitiam. Et postmodum refert, semper ab antiquis legibus, & à diversis principibus rusticitati con- sultum fuisse, & in multis legum utilitatibus remissam rusticani strictam observationem. Idem plane privile- gium repetitum & confirmatum est *ab Imperat. Maximil. in Ordinat. Imperii Colonia Anno 1512.* promulgata, tit. von Testamenten. §. Und sollen die Notarien Auffmerckung ha- ben &c. in verb. Und auff den Gau/wo Bauersleute Testa- ment machen / und mehr Zeugen nicht zubekommen wären/ auffs wenigste fünff Zeugen nothig sind. Imò de bodierna

con-




confuetudine rusticos in terris & provinciis Saxoniciis secundum juris Canonici dispositionem, quæ extat in c. cum esses.  
10. extr. de Testament. coram duobus testibus & Parocho vel Pastore loci testari posse, aliquot præjudiciis probat & confirmat Magnif. ac Nobiliss. Dn. Praeses part. i. decis. 28. Et in  
tr. de Testament. ad l. ult. C. cod. n. 27. Et innocens atque quieta vocatur Rusticitas ab Imperatore in l. 3. C. de defens. civit. Indeque Rusticitas dicitur simplicitas animi sine fraude & dolo l. 2. §. 1. D. si quis in jus vocat. Et Cic. pro Sex Rosc. hominem incautum & rusticum cunjungit. Mo- 3.  
vere tamen posset, quod genus rusticorum hodie non tam simplex sit & quietum ut olim, sed ut quondam servi, ita hodie rustici fere sint versuti & ultimi prioribus pejores. Schultz. Syn. Inst. de his qui sui. ex Webneri Obs.  
Pract. in verb. Ding notul. Verum hæc utut sint, non tamen hodie regulam Juris Comm. sustulerunt, sed tantum effecerunt, ut Rustici sagaces & callidi excipiantur, secundum Gl. Et Dd. V. Socin. Reg. 432. Et seq. Alterius modi inter rusticos usitati mentionem facit Wesenbec. ad tit. Cod. de fide instrument. n. 31. quod sc. Schedæ duplices ejusdem formæ discindantur, & instrumenti publici loco esse soleant. De eodem refert Magnif. Dn. Carpz. ad Constit. Elector. Saxon. 4. p. 2. defin. 7. quod chartæ partitæ, auss geschnittene Zettel & bacilla fissa, Kerbhölzer plenè probent, & ex iis res perfectè cognoscatur, perinde uti fit in panno, qui datur tonsori ad tondendum, cuius particulam Dominus retinet ad recognoscendum.

Altera pars n. Auth. quartam limitationem seu restrictionem continet, & versatur circa quantitatem instrumentis expressam: si n. instrumentum, de quo queritur, continet contractum, qui libram auri non excedit, tunc itidem fit collatio ex scriptura privata, non requisita

trium testium subscriptione. *Auth. bic. Nov. 73. c. 8. §.*  
*ut autem nihil.*

5. Auri Libram septuaginta & duos solidos comprehendere sat superque notum esse arbitror. *V. Gronov. de sestertiis. l. 4. C. 13. p. 763.* Solidus vero quantum valeat ad nostram monetam, dissentunt Antiquarii: Ceterorum sententiis examinatis demonstrat laudatus Gronovius, solidum exæquare duos scutatos vel ducatones, aut Taleros Philippeos, 2*i.* Imperiales, 60. gr. *lib. 4. c. 15. p. 795. seq.* Ratio, quare collatio locum habeat, si prædictam summam non egrediatur, redditur ab Imperatore, ne de rebus exiguis maximas homines attritiones sustineant, cum æquum non videtur sit, requiri scrupulofas & nimis curiosas solennitates in contractibus non ita magnæ quantitatis, uti *Gothofr. ad nostr. Nov. annot.* Et sepius denique minima in consideratione non esse ostendit *Dn. Carpz. Prax. Crim. P. 1. q. 32. n. 18.* De hoc etiam solidorum valore & diversitate agit *Magnif. Dn. Praeses in p. 1. decis. 34.* ubi exponit, alios esse aureos, (qui integri, solidi, vel integri ponderis dicantur, quorum etiam fit mentio in *Novell. Elector. Saxon. August. constit. 12. & 14. part. 2. & Constit. 32. part. 4.* ex quibus locis liquet, solidum sumi pro aureo Hungarico.) Alios verò solidos esse minores & vulgares, quorum unus accipitur pro duodecimi nummis antiquis, vel sedecim novis. Quorum usus videre est, in *Ordinat. Elector. & Provincial. Saxon. sub tit. was zu den Ober: und Erbgerichten gehöret.* Plura videri possunt *d. decision. 34.*



## COROLLARIA.

**J**udicium à litis contestatione incipit.  
*I.*

Lite non contestata ad sententiam definitivam perveniri nequit.  
*II.*

Litis contestatio inducit præventionem, litisque pendentiam, & interrumpit præscriptionem.  
*III.*

Juramentum calumniæ in omnibus causis tām per principales quām procuratores præstari potest.  
*IV.*

Actor hoc juramentum præstare recusans privatur actione: reus v. tanquam confessus & convictus condemnatur.  
*V.*

Post litis contestationem & præstationem juramenti calumniæ, in terris Imperii positiones sive articuli exhiberi solent, ad quos mediante

dianate juramento hinc inde est respondendum.

VII.

Positiones sive articuli debent desumi ex causa principali & visceribus libelli.

VIII.

Judex examinatis articulis eos admittere vel rejicere potest sine partis citatione.

IX.

Si judex dubitet, utrum articuli sint relevantes nec ne, eos admittere debet cum clausula: salvo jure impertinentium.

X.

Reus articulum affirmans (per verbum credo) habetur pro confesso, & eo ipso actor relevatur ab onere probandi.



94 A 7360

94 A 7360

ULB Halle  
002 381 974



3

56.

11/1974

VDT



spatia saepe  
in milio manib[us] p[er] annos


B  
ante et omnia que  
cum vobis vina

h[ab]uit d[omi]n[u]s n[ost]r[u]s Eu[es]

# Farbkarte #13

B.I.G.

Centimetres



Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

N. D. N. J.C.

# QUITATIO ECTAVA,

Continens  
anticar. Lib. IV. Tit. XIX. &  
XI. Cod. insertarum, adjectâ decade  
Johannis Monachi JCTi practica  
aria desumptorum.

*Quam  
faiente Clementiâ*

ub Præsidio

VIRI

*ni, Amplissimi & Consultissimi,*

**OPHORI PHILIPPI**

**BERRIMI, COM.PAL.CÆS.**

CI EMINENTISSIMI, DECRETA-  
S JURID. ORDINARI MERITIS-  
INCIALIS ET SCABINATUS  
RIMARI GRAVISSIMI,

*notoris sui maximè honorandi,  
venerandi,*

*orum examini submittit*

**HAS BEXIUS,**

Autor.

*214. Martij.*

**E N Æ,  
ISCHMIDIANIS.**

**M. DC. LX,**